Peppmüller, Rudolf
In poetas Graecos

Programm

des

Gymnasiums zu Seehausen i. Altm.

von Ostern 1886 bis Ostern 1887,

wodurch zu der am **1.** und **2. April 1887** stattfindenden **öffentlichen Prüfung**
ergebenst einladet

Dr. **Rudolf Peppmüller,**
Direktor des Gymnasiums.

Inhalt:

Halle a. S.,
Druck der Buchdruckerei des Waisenhauses.
1887.

1887. Progr. Nr. 236.

LIBRARY
AUG 29 1962
UNIVERSITY OF TORONTO

Rudolfi Peppmuelleri

in poetas Graecos, maxime in elegias Theognideas

exercitationes criticae.

Accedunt

Theodori Bergkii

ad Periclis vitam Plutarcheam adnotamenta.

I. E coniecturis quas ad Theognidis versus 117. 118:

κιβδήλου δ' ἀνδρὸς γνῶναι χαλεπώτερον οὐδέν,
Κύρν', οὐδ' εὐλαβίης ἐστὶ περὶ πλέονος

restituendos viri docti in medium protulerunt, nulla, ne illa quidem quam Stadtmuellerus nuper proposuit, ἔσθ' ἕτερον πλέονος, ita mihi quidem probatur ut Heimsoethii ἔσθ' ὅπερ ᾖ πλέονος, eo tamen nomine improbanda illa quidem, quod coniunctivum auctor poetae reddit: scribendum aut οὐδ' εὐλαβίης ἐστὶν ὅπερ πλέονος aut ὅ τι πλέονος.

II. De imbecillitate humana et rerum inscitia, quibus efficiatur, ut voluntates hominum ad certum ac propositum finem perduci vix queant, poeta disserens his verbis orationem finit:

ἄνθρωποι δὲ μάταια νομίζομεν, εἰδότες οὐδέν·
θεοὶ δὲ κατὰ σφέτερον πάντα τελοῦσι νόον.

Vidit quid pro corruptela flagitaret loci sententia Bergkius, non Stadtmuellerus: ille enim in quarta lyricorum poetam μάτην (sive μάταις) μοχθίζομεν scripsisse suspicatus est, hic quod coniecit μάταια τοπάζομεν, id nec loci sententiae neque orationi poetae videtur satis facere. Ego quidem nescio an scripserit Theognis:

ἄνθρωποι δὲ μάται' ἀλεγίζομεν, εἰδότες οὐδέν:

nimirum similiter idem v. 310: Πάντ' ἀλέγων λήθειν ὡς ἀπεόντα δοκεῖ.

III. Sobrio iudicio usum opinor Heimsoethium v. 173 seq.:

ἄνδρ' ἀγαθὸν πενίη πάντων δάμνησι μάλιστα
καὶ γήρως πολιοῦ, Κύρνε, καὶ ἠπιάλου

pro πολιοῦ πλεῖον reposuisse: idem num manum poetae restituerit dubito: etenim aliud vocabulum superlativus μάλιστα videtur suggerere hoc:

καὶ γήρως μάλιον, Κύρνε, καὶ ἠπιάλου.

Usus hoc comparativo Tyrtaeus est fr. 12, 6: Πλουτοίη δὲ Μίδεω καὶ Κινύρεω μάλιον, sed hoc quoque loco librarii raram formam expulerunt: confirmant eandem inter grammaticos Hesychius et Choeroboscus.

IV. Ex literarum vestigiis quae comparent v. 288 in cod. A: *ως δε τοσωσαι εἰ πολλοὶ κτλ.* hanc versuum 287 seq. genuinam formam esse conicere licet:

ἐν γάρ τοι πόλει ὧδε κακοψόγῳ ἀνδάνει οὐδέν·
νώσασθαι δὲ κακοὶ πολλῷ ἀνολβότεροι.

Νώσασθαι corruptelae iam Bergkius elicuit ceteroquin alias corrigendi vias ingressus: suspicatur enim: *ὡς ἐτὰ νώσασθαι* et *ὡς νώσασθ' αἰεί.*

V. V. 419 seq. haec est contextus ratio, ut pro *πολλά με καὶ* negationem potius desideraveris. Legendum igitur videtur:

πόλλ' ἔμεγ' οὐ συνιέντα παρέρχεται, ἀλλ' ὑπ' ἀνάγκης
σιγῶ, γινώσκων ἡμετέρην δύναμιν.

Nimirum suarum virium infirmitate se eo duci poeta concedit, ut, licet meliora intellegat, prae timore quodam sententiam suam aperire non audeat. Collocatur autem negatio uti apud Sophoclem in Oed. tyr. v. 1391: *τί μ' οὐ λαβὼν ἔκτεινας;*

VI. Edidit quidem v. 428 Bergkius:

καὶ κεῖσθαι πολλὴν γῆν ἐπαμησάμενον:

sed recte num ediderit ipse dubitat: *insolenter* enim *dictum* esse *γῆν ἐπαμησάμενον*: *nam alias de cognatis, qui mortuum sepeliant, dici solere ἀμᾶσθαι γῆν, vid. Herod. VIII 24, Anth. Pal. VII 24 et 241: placere* igitur *Sexti lectionem γαῖαν ἐφεσσάμενον sive γῆν ἐπιεσσάμενον.* Itaque hoc ipsum Zieglerus et Sitzlerus quin recte Theognidi reddiderint equidem non dubito. Locutionis exemplum cum Bergkius apud Pind. Nem. 11, 21 monstraverit, Sitzlerus autem Hesychii glossam indicaverit: *ἐπιέσσασθαι γῆν· ταφῆναι*, ego in prompto habeo eiusdem locutionis exemplum apud Apollonium Rhodium I 690: *ἐπερχόμενόν που ὀίομαι εἰς ἔτος ἤδη Γαῖαν ἐφέσσεσθαι.*

VII. Repetit Bergkius v. 515 seq.:

ἢν δέ τις ἔλθῃ
σεῦ φίλος ὤν, κατάκεισ' ὡς φιλότητος ἔχεις

in quarta lyricorum editione idem quod proposuerat in altera: *κατάκεισ', ὦ φιλότης, τότ' ἐρῶ.* Habebat Leutschium assensorem, nisi quod in extremo pentametro hic *τότ' ἐρεῖς* scribere maluit. Ego quoque hanc personam praeferendam existimo, at intactum relinquo *ὡς φιλότητος ἔχεις,* in verbo *κατάκεισ'* vitium ratus latere. Corrigo:

ἢν δέ τις ἔλθῃ
σεῦ φίλος ὤν, κατερεῖς ὡς φιλότητος ἔχεις.

Magis igitur insisto litterarum traditarum vestigiis Sitzlero, qui in eandem atque ego sententiam *κατάειφ' ὡς* legendum putavit. Ne amicum quidem Clearisti nedum ipsum, si profugus ad se veniat, domo sua se exclusurum esse poeta promittit: hoc solum monet, ne ille amicum celet, sed ut libere aperiat, quale futurum sit hospitium. Alia Sitzleri correctura *εἴρῃ*, qua *ἔλθῃ* is de sede sua turbat, ego abstinendum ratus v. 517 pluralem *ἀποθήσομεν* pro *ἀποθήσομαι* vel propterea praefero, quia etiam in altero disiunctionis membro pluralem *οἰσόμεθα* invenimus usurpatum. Neque probatur mihi quod in extremo huius loci disticho legitur·

ὥσθ' ἕνα μὲν ξεῖνον πατρώιον οὐκ ἀπολείπειν,
ξείνια δὲ πλεόνεσσ' οὐ δυνατὸς παρέχειν,

cum de excipiendo hospite quaestio sit, non de copiis domus. Itaque ego loci Odysseae memor, in quo Eteoneus Menelaum interrogat δ 24 seqq.: *Ξείνω δή τινε τώδε . . . Ἀλλ' εἴπ' ἢ σφωιν καταλύσομεν ὠκέας ἵππους, Ἢ ἄλλον πέμπωμεν ἱκανέμεν, ὅς κε φιλήσῃ*, sic puto scribendum:

ὥσθ' ἕνα μὲν ξεῖνον πατρώιον οὐκ ἀποπέμπειν,
ξείνια δὲ πλεόνεσσ' οὐ δυνατὸς παρέχειν.

VIII. V. 637 seqq.:

ἐλπὶς καὶ κίνδυνος ἐν ἀνθρώποισιν ὁμοῖοι·
οὗτοι γὰρ χαλεποὶ δαίμονες ἀμφότεροι

ut tradita verba sunt, neque praedicatum *ὁμοῖοι* satis placet et languet pronomen *οὗτοι*: clarius dici oportebat, quamobrem spes et periculum poetae similia esse viderentur: scripsisse igitur videtur:

αὔτως γὰρ χαλεποὶ δαίμονες ἀμφότεροι.

IX. Non puto integre tradita esse, licet nemo, quantum scio, adhuc haeserit, ea quae v. 646 seq. sic leguntur:

παύρους κηδεμόνας πιστοὺς εὕροις κεν ἑταίρους
κείμενος ἐν μεγάλῃ θυμὸν ἀμηχανίῃ:

aut *κειμένου ἐν μεγάλῃ θυμοῦ ἀμηχανίῃ* corrigendum, quod qui Od. φ 86 seqq.: *Ἀ δειλώ, τί νυ δάκρυ κατείβετον ἠδὲ γυναικί Θυμὸν ἐν στήθεσσιν ὀρίνετον; ᾗ τε καὶ ἄλλως Κεῖται ἐν ἄλγεσι θυμὸς* contulerit, facile crediderit, aut

κείμενος ἐν μεγάλῃ θυμοῦ ἀμηχανίῃ

scribendum, quamquam hoc minus probo.

X. '*Γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας*' vereor ne quis clamet, si legerit quo modo ego locum multum tentatum in integrum restituere coner: nihilo tamen secius audebo promere quod excogitavi. Quid, si scripsit poeta v. 659 seqq.:

οὐδ' ὀμόσαι χρὴ τοῦτ'· οὐ μήποτε πρῆγμα τόδ' ἔσται·
θεοὶ γάρ τοι νεμεσῶσ', οἷσιν ἔπεστι τέλος
καὶ πρῆξις μετέπειτα· τάχ' ἐκ κακοῦ ἐσθλὸν ἔγεντο,
καὶ κακὸν ἐξ ἀγαθοῦ· καί τε πενιχρὸς ἀνὴρ
αἶψα μάλ' ἐπλούτησε· καὶ ὃς μάλα πολλὰ πέπαται,
ἐξαπίνης ἄπο τ' οὖν) ὤλεσε νυκτὶ μιῇ.*

Commendatur opinor mea coniectura et mutationis facilitate et orationis quadam elegantia: traditum est *πρῆξαι μέντοι τι· καί*, neque vero equidem particulam *καὶ* turbavissem, nisi facerent ea quae sequuntur ut supra quoque simile quid exaratum fuisse credam.

XI. Expello languidum *παρέοντα* participium v. 889 scribendo:

ἀλλ' αἰσχρὸν νέον ὄντα καὶ ὠκυπόδων ἐπιβάντα
ἵππων μὴ πόλεμον δακρυόεντ' ἐσιδεῖν,

Tyrtaei locorum memor fr. 10, 27 et 11, 13 seqq.

XII. Iure Bergkius v. 894:

ὡς δὴ Κυψελιδέων Ζεὺς ὀλέσειε γένος,

---

*) Haec emendatio i. e. *ἄπο τοι οὖν* debetur G. Hermanno, qui egregie ita codicis A lectionem *ἀποτοῦν* redintegravit: *verum fortasse* eum repperisse dixit etiam H. Jordanus Quaest. Theognideae p. 6.

particulam *ὡς* defendit a reprehensione Cobeti, qui cum barbare sic dici putaret, *πῶς ἂν* scribi iussit. Neque tamen eidem Bergkio, quod *δὴ* a grammatico quodam ad lacunam supplendam additum esse arbitratus *ὡς πᾶν* legendum censuit, assentiendum puto, quoniam recte dici *ὡς δὴ* non solum ex locutione *ὡς δὴ ὄφελον* (*α* 217, *λ* 548, *ε* 308) satis apparet, verum etiam *ὡς δὴ* cum optativo coniungi ex loco patet Iliadis *X* 286: *ὡς δή μιν* (*ἔγχος*) *σῷ ἐνὶ χροῒ πᾶν κομίσαιο*.

XIII. Quoniam nemo quando diem supremum obiturus sit certo sciat, parce ut homines opibus utantur monet v. 903 seqq. poeta: neque enim eorum vitae rationem laudat qui, quamvis divites sint, tamen tam sordide se alant, ut cum suo animo nihil dederint, quidquid pepererint divitiarum, heredibus relinquant, neque eorum qui senectutem non curantes opes voluptatis causa large profundant. Hi sunto sumptus, haec opum colligendarum cura, ut neque aliis laborum fructum tradas neque mendiceris et tamquam serviliter te gerere cogaris neque omnia gaudia, si forte ad senectutem perveneris, te fugiant.

Οὕτω, Δημόκλεες κατὰ χρήματ' ἄριστον ἁπάντων
τὴν δαπάνην θέσθαι καὶ μελέτην ἐχέμεν·
οὔτε γὰρ ἂν προκαμὼν ἄλλῳ κάματον παραδοίης,
οὔτ' ἂν πτωχεύων δουλοσύνην τελέοις·
οὐδ' εἰ γῆρας ἵκοιο, τὰ χάρματα πάντ' ἀποδραίη·
ἐν δὲ τοιῷδε γένει χρήματ' ἄριστον ἔχειν.

De toto loco optime meritus est Bergkius, cui debemus et *παραδοίης* pro *μεταδοίης* et *χάρματα* pro *χρήματα*: idem *γένει insolenter dictum* adnotat, *ut idem sit quod ἡλικία*, quam quidem notionem aptam esse loci sententiae nego. Coniicit Bergkius *πέλει, ut ἐν τοιῷδε idem sit quod ἐν τῷ τοιούτῳ, in hoc rerum statu:* mihi aliud quid latere in *γένει* videtur. Et cogitanti mihi quam multis verbis poeta se dubitare antea dixerit, quae vitae via ingredienda sit (v. 910 seq.):

καὶ δάκνομαι ψυχὴν καὶ δίχα θυμὸν ἔχω,
ἐν τριόδῳ δ' ἕστηκα. δύ' εἰσὶ πρόσθεν ὁδοί μοι,

nunc, cum quid optimum factu sit invenerit, aptissime illud distincte videtur significasse, siquidem scripsit *ἐν δὲ τοιῷδ'*, vel potius *ἀσυνδέτως*:

ἐν τοιῷδ' ἐτεῇ χρήματ' ἄριστον ἔχειν.

Sic re vera optimum est opes habere.

Adiungo aliud. Monet poeta, ne divitiis profusis mendicando amicis molestus sis: at *ἡβᾶν μετὰ τῶν φίλων* non vetat, immo reprehendere avarum videtur, quod una cum amicis genio indulgere non velit. Quid? Hesiodus, cuius saepe verba mihi haec animo consideranti in memoriam redierunt, nonne illud quoque iubet (Op. 353): *τὸν φιλέοντ' ἐπὶ δαῖτα καλεῖν*? Quidni placuerit poetae

ὥστ' ἐς ἄκαιρα πονεῖν καὶ μὴ δόμεν ᾧ κε (vel potius *ὅν κε*) *φιλοίη*

pro *ᾧ κ' ἐθέλῃ* vel *ᾧ κ' ἐθέλοι τις*?

Alio versu Hesiodus suadet

καὶ δόμεν ὅς κεν δῷ καὶ μὴ δόμεν ὅς κεν μὴ δῷ:

nescio an hujus quoque dicti poeta meminerit.

XIV. V. 959 seqq.:

ἔστε μὲν αὐτὸς ἔπινον ἀπὸ κρήνης μελανύδρου,
ἡδύ τέως ἐδόκει καὶ καλὸν εἶμεν ὕδωρ·

νῦν δ' ἤδη τεθόλωται, ὕδωρ δ' ἀναμίσγεται ἰλυῖ,
ἄλλης δὴ κρήνης πίομαι ἢ ποταμοῦ

extrema verba non solum *iners additamentum,* quod Bergkio visum est, continent, verum plane incredibile: *mirandum* sane *placuisse poetae verba, qui puellae infidae se iam alio fonte minitetur vel adeo flumine usurum, nempe quod omnibus pateat, cuius aqua non limpida cogitari possit, sed turbata. Re vera haec essent amatoris male fastidiosi, immo secum pugnantis, qui modo ac plane paullo ante dixerat: ἔστε μὲν αὐτὸς (i. e. solus) ἔπινον.* Hactenus recte quidem Hartelius a. 1879 in Analectis, quae studiis Vindobonensibus inserta sunt, siquidem quin *ἰλυῖ* pro *ὕδει* ab Ahrensio iure correctum sit non est dubium: at quod ipse Hartelius invenit ad vitium removendum

ἄλλης δὴ κρήνης πίομ' ἐπηετανοῦ,

ut plane eodem epitheto *fontem* ornari potuisse quo *labra* et *aquationes* (*πλυνοὶ* et *ἀρδμοὶ* in Odyssea ζ 86 et ν 287) concedam, quamquam rem ita esse eodem exemplo demonstrari nequit, tamen non de *perennitate,* sed de *limpitudine fontis* hoc loco agi ex ipsis Hartelii verbis facile cognoveris. Itaque ne Bergkius quidem, etsi magis placet correctura eius *ἡδυπότου*, verum videtur vidisse, praesertim cum adiectivum *ἡδύποτος*, licet ad vini dulcedinem significandam saepe usurpetur, tamen nusquam quod sciam *aquae* attribuatur. Dignum manu poetae videtur esse

ἄλλης δὴ κρήνης πίομ' ἀκηρασίου,

idque ipsum a traditarum litterarum forma *ΠΙΟΜΑΙΗΠΟΤΑΜΟΥ,* cum quibus conferas velim *ΠΙΟΜΑΚΗΡΑCΙΟΥ* (supra scr. *ΠΟ*), non nimis recedit. Exemplo est Il. *Ω* 303: *Χερσὶν ὕδωρ ἐπιχεῦαι ἀκήρατον,* ubi scholia, quod explicant *καθαρόν, ἀθόλωτον, ἀμίαντον,* eodem verbo utuntur quod ipse Theognis v. 961 opponit epitheto fontis *ἀκηράσιος.* Ceterum conferas etiam Od. ι 203: *οἶνον.. ἡδύν, ἀκηράσιον, θεῖον ποτόν.*

XV. In emendandis versibus 1043. 1044 cum ab eorum codicum lectione proficiscendum putem, in quibus legitur *ἃ στυφελῆς*, hunc in modum censeo et distinguendum et corrigendum esse:

εὕδωμεν; φυλακὴ δὲ πόλευς φυλάκεσσι μελήσει;
ἃ σμυγερῆς ἐρατῆς πατρίδος ἡμετέρης.

XVI. V. 1169 seq.:

ἐκ κακεταιρείης κακὰ γίνεται· εὖ δὲ καὶ αὐτός
γνώσῃ, ἐπεὶ μεγάλους ἤλιτες ἀθανάτους

ad eam emendationem, quam Bergkius in prima lyricorum editione proposuit *ἐπεὶ μέγα θεούς*, confirmandam multum prodest versus Scuti quod fertur Hesiodei 79 seq.:

ἦ τι μέγ' ἀθανάτους μάκαρας, τοὶ Ὄλυμπον ἔχουσιν,
ἤλιτεν Ἀμφιτρύων,

quamquam ne hic quidem locus incorruptus esse mihi videtur. Correxit Hermannus: *Ἦ μέγα δή τι θεοὺς μάκαρας*, veluti apud Apollonium Rhodium *Γ* 890 invenimus: *Ὦ φίλαι, ἦ μέγα δή τι παρήλιτον,* eleganter ille, sed paullo violentius, si mihi credis: nihil puto corrigendum nisi *τι*, quod facillime emendari potest scribendo:

ἦ τε μέγ' ἀθανάτους μάκαρας, τοὶ Ὄλυμπον ἔχουσιν,
ἤλιτεν Ἀμφιτρύων.

Habeo alia quoque, quae proponam, velut *Ἠ μεγάλ' ἀθανάτους* (cfr. *υ* 113) vel *Ἠ ῥα μέγ' ἀθανάτους* ex Apollonii altero libro v. 241: *Ἠ ῥα θεοὺς ὀλοῇσι παρήλιτες ἀφραδίῃσιν*, sed illud magis placet propter facilitatem mutationis.

XVII. Parum apte dici v. 1177 seq.:

εἴ κ' εἴης ἔργων αἰσχρῶν ἀπαθὴς καὶ ἀεργός,
Κύρνε, μεγίστην κεν πεῖραν ἔχοις ἀρετῆς,

cum Bergkius vidisset, *πεῖραν ἐλῷς* i. e. *εἰς πεῖραν ἔλθοις* poetam scripsisse dubitanter coniecit: mihi non *ἔχοις*, sed *πεῖραν* vitium videtur contraxisse, facile sanandum illud quidem corrigendo:

εἴ κ' εἴης ἔργων αἰσχρῶν ἀπαθὴς καὶ ἀεργός,
Κύρνε, μεγίστην κεν μοῖραν ἔχοις ἀρετῆς.

Poeta eum qui nec patiatur turpia nec faciat maximam virtutis partem adeptum esse dicit. Exempli gratia laudo Od. *υ* 170: *οὐδ' αἰδοῦς μοῖραν ἔχουσιν* et ex ipso Theognide v. 150: *ἀρετῆς δ' ὀλίγοις ἀνδράσι μοῖρ' ἕπεται.*

XVIII. In v. 1178 seqq.:

οὔτις ἄποινα διδοὺς θάνατον φύγοι οὐδὲ βαρεῖαν
δυστυχίην, εἰ μὴ μοῖρ' ἐπὶ τέρμα βάλοι,
οὐδ' ἂν δυσφροσύνας, ὅτε δὴ θεὸς ἄλγεα πέμποι,
θνητὸς ἀνὴρ δώροις βουλόμενος προφύγοι

extrema verba vulnere laborare manifestum est: nam nullo pacto *βουλόμενος* ferri potest: verbum de vitio suspectum esse arguit litera *β* in cod. A erasa: Bergkius cum antea *ἱλάμενος* scripsisset, in quarta lyricorum editione *οὐνάμενος* legendum esse censuit, quod *munerum ope* argutius vir sagacissimus interpretatur. Videor mihi loco leniore medicina in integrum restituere posse: rara enim vox *δυσφροσύναι* Hesiodum in memoriam revocat, qui postquam aquilam Promethei jecur depascentem ab Hercule interfectum esse narravit, sic pergit v. 527 seq.:

κακὴν δ' ἀπὸ νοῦσον ἄλαλκεν
Ἰαπετιονίδῃ καὶ ἐλύσατο δυσφροσυνάων.

Credo equidem nec vanam spero fidem esse ex hoc loco Theognidis vulneri me posse mederi: repono:

οὐδ' ἂν δυσφροσύνας, ὅτε δὴ θεὸς ἄλγεα πέμποι,
θνητὸς ἀνὴρ δώροις λυόμενος προφύγοι.

Nullis muneribus (*ἄποινα διδούς, δώροις λυόμενος*), inquit poeta, contra fatum quisquam aut mortem vitabit aut aegritudine unquam se liberabit.

XIX. Falso genitivus traditus est v. 1290 seq. post *νοσφισθεῖσα* in verbis:

ζωσαμένη δ' ἔργ' ἀτέλεστα τέλει,
πατρὸς νοσφισθεῖσα δόμων, ξανθὴ Ἀταλάντη:

solet enim hoc verbum cum accusativo coniungi neque solum apud Homerum velut in versu *τ* 579 = *φ* 77 (104):

τῷ κεν ἅμα σποίμην, νοσφισσαμένη τόδε δῶμα

et *τ* 338 seq.: *Κρήτης ὄρεα νιφόεντα Νοσφισάμην* et *δ* 263: *Παῖδά τ' ἐμὴν νοσφισσαμένην θάλαμόν τε πόσιν τε*, sed etiam apud alios poetas, velut in hymno in Cererem v. 92: *Νοσφισθεῖσα θεῶν ἀγορὴν* et apud Archilochum fr. 96: *Ὅρκον δ' ἐνοσφίσθης μέγαν Ἅλας τε καὶ τράπεζαν* et apud Apollonium I 187:

ἤτοι ὁ μὲν πτολίεθρον ἀγανοῦ Μιλήτοιο
νοσφισθεὶς Ἐργῖνος, ὁ δ' Ἰμβρασίης ἕδος Ἥρης,
Παρθενίην, Ἀγκαῖος ὑπέρβιος

et apud eundem poetam IV 362 seq.:

πάτρην τε κλέα τε μεγάρων αὐτούς τε τοκῆας
νοσφισάμην, τά μοι ἦεν ὑπέρτατα.

Quocirca non dubito quin semel monitus rescripturus sis:

πατρὸς νοσφισθεῖσα δόμον, ξανθὴ Ἀταλάντη.

XX. Literarum vestigiis, quae in cod. A comparent *παιδαϊδη*, alii alio modo ad poetae manum restituendam usi sunt: *dubitanter* Bergkius:

σὺ δὲ ταῦτα φύλαξαι,
μηδέ σε νικήσῃ παῖδ' ἀδαῆ κακότης.

At languet accusativus: sequor igitur eam viam qua scite G. Hermannus praeivit: qui cum eleganter *παιδὸς ἴσῃ* coniecerit, nos quam maxime ad literarum traditarum vestigia convenienter inventum viri acutissimi leniter sic immutamus, ut reddamus poetae:

σὺ δὲ ταῦτα φύλαξαι,
μηδέ σε νικήσῃ, παῖ κάλ', ἴσῃ κακότης.

Eandem pueri adlocutionem invenias v. 1280 atque pari modo Bergkius versum supplevit 1331.

XXI. In Theogoniae Hesiodeae versibus 309 seqq.:

Ὄρθον μὲν πρῶτον κύνα γείνατο Γηρυονῆι·
δεύτερον αὖτις ἔτικτεν ἀμήχανον, οὔ τι φατειόν
Κέρβερον, ὠμηστήν, Ἀίδεω κύνα χαλκεόφωνον,
πεντηκοντακέφαλον, ἀναιδέα τε κρατερόν τε,

ego non tam in eo offendo, quod Cerberus *ἀμήχανος* dicitur, quod cum Nauckio intolerabile videretur, in Miscellaneis Graeco-Romanis III 23 *ἀμαίμακον* corrigi necesse esse existimavit, sed in adiectivorum temere et nullo ordine appositorum indigesta mole: opus est substantivo aliquo, ut adiectiva habeant in quo nitantur. Neque vero diu quaerendum quod nomen librariorum incuria expulsum sit. Notum est saepissime, quicquid insuperabile et abominandum videbatur, id *κακὸν* vel *πῆμα* vel *τέρας* a poetis Graecis vocari. Nonnulla e multis afferre liceat: *τυκτὸν κακὸν* Mars dicitur *E* 831, *κακὸν ἀνθρώποισι* Chimaera *Π* 329, similia leguntur de Typhaone, cuius procreationis hoc ipso loco mentio facta est, in hymno in Apollinem Pythium, quem locum Hesiodeam narrandi rationem prae se ferre dudum inter homines doctos constat, v. 171 seqq.:

ἀλλ' ὅτε δὴ νύκτες τε καὶ ἡμέραι ἐξετελεῦντο
ἂψ περιτελλομένου ἔτεος καὶ ἐπήλυθον ὧραι,
ἡ δ' ἔτεκ' οὔτε θεοῖς ἐναλίγκιον οὔτε βροτοῖσι,
δεινόν τ' ἀργαλέον τε Τυφάονα, πῆμα βροτοῖσιν.
αὐτίκα τόνδε λαβοῦσα βοῶπις πότνια Ἥρη
δῶκεν ἔπειτα φέρουσα κακῷ κακόν· ἡ δ' ὑπέδεκτο.

Ἄμαχον κακόν, ut ait Pindarus (Pyth. 2, 76), *διαιβολιᾶν ὑποφάτιες*: maxime autem ad Hesiodeum locum emendandum valet Scyllae descriptio Homerica *μ* 118, de qua poeta:

ἀθάνατον κακόν ἐστιν,
δεινόν τ' ἀργαλέον τε καὶ ἄγριον οὐδὲ μάχητον.

Credo enim Hesiodum scripsisse:

Ὄρθον μὲν πρῶτον κύνα γείνατο Γηρυονῆι·
δεύτερον αὖτις ἔτικτ' ἄμαχον κακόν, οὔ τι φατειόν,
Κέρβερον ὠμηστήν, Ἀίδεω κύνα χαλκεόφωνον,
πεντηκοντακέφαλον, ἀναιδέα τε κρατερόν τε.

Corruptela quam facile ex $\overset{ON}{AMAXKAKON}$ oriri potuerit, vix est quod moneam. Confirmari autem existimaverim meam correcturam testimonio Sophocleo Trach. 1098:

Ἅιδου τρίκρανον σκύλακ' ἀπρόσμαχον τέρας,

ubi non facio cum Nauckio, qui hoc quoque loco ἀμαίμακον restituendum esse statuit, quamvis non ignorem nunc adiectivum illud ante Alexandrinos demonstrari non posse.

XXII. Cum satis constet brevem esse radicem verbi ἄϝημι apud Graecos, formam ἀκραῆ β 421 ferendam esse nego: restituendam solutionem ἀκρᾰέα iure contendit etiam J. van Leeuwen in Cobeti Mnemosyne N. S. XIV p. 363 confirmavitque correctionem versu Operum 594:

ἀντίον ἀκρᾰέος ζεφύρου τρέψαντα πρόσωπον.

Cavit enim ille ne ἀκρᾱεῦς poetae obtruderet. Idem etsi observavit apud Hesiodum Op. 599 adjectivum εὐᾱεῖ longam syllabam in editione Rzachii, ut opinor, praebere, hac re, quam ego miror, tamen commotus non est ut aut remedium quaereret aut explicationem: satis habet offensionem notavisse. Quid quod doctus iuvenis locum Homericum μ 313: Ὦρσεν ἔπι ζᾱῆν ἄνεμον recte se habere existimat: nam utrum Theogn. 253 Πνοιάς τε ζᾱέων ἀνέμων an ζᾱέων pronuntiandum censeat, ambigere licet. At res videtur dilucida esse: praepositio ζᾰ per se ipsa brevis est: aequat enim voci vulgari διά: quapropter non dubito quin unice vera sit apud Hesiodum Parisini scriptura

χώρῳ ἐν εὐᾰέϊ καὶ ἐντροχάλῳ ἐν ἀλωῇ,

neque moror vocalis ι longitudinem: nemo enim nunc nescit ea quae optime Hartelius de dativi in ι terminantis natura disputavit, quae littera, anceps per se, apud Homerum arseos vi produci potest. Longe autem alia atque adiectivi εὐᾰής ratio est vocabuli ζαής, quod e ζα-αϝής natum esse apparet. Itaque paenultima brevis esse nullo pacto potest, unde synizesi opus esse Th. 253:

πνοιάς τε ζᾱέων ἀνέμων

nunc perspicuum est. Exempla ab Rzachio Neue Beitr. p. 28 hanc ob causam allata, ut litteram α horum adiectivorum nusquam non longam esse ostenderetur, hoc unum docent in eis non ita evanuisse priscam radicis ἀϝ (ᾱυ) naturam, ut vi arseos urgente longitudo emicare non posset. Sunt enim exempla Ζεφύροιο δυσᾱέος ψ 200, μ 289, Ζέφυρός τε δυσαής ε 295, δυσαήων μέγα κῦμα ν 99: adiectiva ἀκραής et ὑπεραής non respicit Rzachius. Quid multa? Cadit in hanc vocalem plane eadem ratio quam dativi in ι exeuntis esse dudum Hartelius demonstravit: radix αϝ, ambigua per se, vi arseos accedente producitur, in thesi corripitur: unum quod videtur repugnare exemplum μ 313: Ὦρσεν ἔπι ζᾱῆν ἄνεμον, duarum vocalium contractione explicandum est.

XXIII. Utor data occasione ad emendationem quam anno 1881 protuli nunc exemplo plane confirmandam. Dixi in Philologo t. XLI p. 3 Op. 140 seqq.:

αὐτὰρ ἐπεὶ καὶ τοῦτο γένος κατὰ γαῖα κάλυψε,
τοὶ μὲν ὑποχθόνιοι μάκαρες θνητοὶ καλέονται,
δεύτεροι, ἀλλ' ἔμπης τιμὴ καὶ τοῖσιν ὀπηδεῖ

Τοὶ μὲν ὑποχθόνιοι μάκαρες θνητοῖς καλέονται corrigi oportere, quam emendationem ab A. Rzachio in textum receptam esse video. Ignorabam, cum ita scripsi, fragmentum Pindaricum (133 in IV. editione Bergkiana): *ἐς δὲ τὸν λοιπὸν χρόνον ἥρωες πρὸς ἀνθρώπων καλεῦνται,* quo loco Boeotius poeta Boeotium imitatus esse mea quidem sententia iudicandus est.

XXIV. In embaterio Tyrtaei a Dione Chrysostomo servato notissimo:

ἄγετ', ὦ Σπάρτας εὐάνδρου
κοῦροι πατέρων πολιατᾶν,
λαιᾷ μὲν ἴτυν προβάλεσθε,
δόρυ δ' εὐτόλμως βάλλετε
μὴ φειδόμενοι τᾶς ζωᾶς·
οὐ γὰρ πάτριον τᾷ Σπάρτᾳ

vitium versiculi quarti *βάλλετε*, quod inde ortum est, quod per errorem bis idem verbum *προβάλεσθε* positum erat, non ita ut Bergkio in mentem venerat

δόρυ (δεξιτερᾷ) δ' εὐτόλμως

tollendum esse, sed hic quoque verbum expectandum, multo antequam eandem sententiam Stadtmuellerus dixit, intellexi: multos habeo eius rei testes discipulos meos, quos decem abhinc annos hunc in modum embaterion memoriae tradere iussi:

ἄγετ', ὦ Σπάρτας εὐάνδρου
κοῦροι πατέρων πολιατᾶν,
λαιᾷ μὲν ἴτυν προβάλεσθε,
δόρυ δ' εὐτόλμως ἄνσχεσθε κτλ.,

non *ἀνέχεσθε*, quae est Stadtmuelleri sententia: postulare enim aoristus videtur aoristum: obversatur poetae bellatorum imago, qualis describitur *Λ* 592 seqq.:

ὣς ἔφατ' Εὐρύπυλος βεβλημένος· οἱ δὲ παρ' αὐτόν
πλησίοι ἔστησαν, σάκε' ὤμοισι κλίναντες,
δούρατ' ἀνασχόμενοι,

idemque hemistichium repetitur *O* 298 et *P* 234.

XXV. Versus Sophocleos ab Hesychio s. v. *κουρίον* servatos Nauckius in hunc edidit modum fr. 122:

νόμος γάρ ἐστι βαρβάροις θυηπολεῖν
βρότειον ἀρχῆθεν γέρος τῷ Κρόνῳ,

ubi alterum versum corruptum esse nemo non videt. Tentamina et Scaligeri, qui *γένος* scripsit, et Buttmanni, qui *γέρας* coniecit, vel eo recte repudiavit Nauckius, quia ne metro quidem prorsus satis faciunt: '*quid lateat*', quamquam difficile est certo dicere, haud inepte tamen ac lenissima scripseris mutatione:

νόμος γάρ ἐστι βαρβάροις θυηπολεῖν
βρότειον ἀρχῆθέν γε χρῶτα τῷ Κρόνῳ,

qua recepta emendatione metro quoque subveneris claudicanti. Erat igitur mos barbaris illis antiquitus traditus, ut *humanum corpus* Saturno immolarent. Usus est eadem locutione Hesiodus Op. 415: *μετὰ δὲ τρέπεται βρότεος χρὼς Πολλὸν ἐλαφρότερος*, nec dissimiliter apud Euripidem Hec. 406 Polyxena matrem affatur:

βούλει πεσεῖν πρὸς οὖδας ἑλκῶσαί τε σόν
γέροντα χρῶτα πρὸς βίαν ὠθουμένη
ἀσχημονῆσαί τ' ἐκ νέου βραχίονος
σπασθεῖσ', ἃ πείσει; μή σύ γ'· οὐ γὰρ ἄξιον.

Iuvat hoc loco subicere adnotamenta quaedam Bergkiana, quae vir de literis nostris meritissimus variis temporibus, quibus Plutarchi Periclem tractavit, margini adscripsit. Nonnulla ex his iam anno 1867 cum Rob. Ungero, conventus philologorum Halensis socio, communicasse Bergkium consulto commemoro. Occupaverunt enim haud pauca alii, inter quos honoris causa nomino Cobetum, qui quae in primo tomo Mnemosynae N. S. publicavit, eorum Bergkius etiam viderat plurima: attamen plura ille silentio praeteriit, quocirca recte me facturum esse existimavi, si ea quae Bergkius ante eum videtur investigasse, integra mandanda typis curarem.

Adnotavit igitur vir doctissimus

cap. 1 *κυνῶν τέκνα τε καὶ πιθήκων ἔκγονα* scribendum esse: neque ea quae sequuntur sana esse iudicavit. Et recte quidem ille: parum enim apte Plutarchus, postquam Caesarem ex illis qui caniculas ac simias secum ferebant quaesivisse narravit, num pueros apud eos non parerent mulieres, dicere pergeret *ἡγεμονικῶς σφόδρα νουθετῆσαι* Caesarem illis verbis: arridet Bergkii *γελοίως*. In eodem capite idem post *ἵνα μὴ θεωρῇ μόνον* inseruit *ὁ νοῦς*, deinde autem transpositis verbis *τοῖς ἱστορήμασιν* scripsit: *ταῦτα δὲ ἐστὶν ἐν τοῖς ἱστορήμασιν τῶν ἀρετῆς ἔργων, ἃ καὶ ζῆλόν τινα καὶ προθυμίαν ἀρωγὸν εἰς μίμησιν ἐμποιεῖ· ἐπὶ τῶν γὰρ ἄλλων κτλ.*

Uncis saepsit, c. 1, l. 28 editionis Sintenisianae verbum substantivum in loco *σπουδαῖός [ἐστιν] αὐλητὴς Ἰσμηνίας.*

Cap. 2, l. 23 dativis *πρᾳότητι καὶ δικαιοσύνῃ* Bergkius praetulit *διὰ πρᾳότητα κτλ.* Deinde dubitanter et respiciens Solonis vitam c. 15 scripsit

cap. 3, l. 6 *καὶ γενναίως* (an *βεβαίως*?) *νόμους ἔθετο* et post verba *προμήκη δὲ τὴν κεφαλὴν καὶ ἀσύμμετρον* participium *ἔχοντα* inserendum censuit. Ad locum l. 12: *οἱ δ' Ἀττικοὶ ποιηταὶ σχινοκέφαλον αὐτὸν ἐκάλουν· τὴν γὰρ σκίλλαν ἔστιν ὅτε καὶ σχῖνον ὀνομάζουσι* rectius conformandum complura vir doctissimus tentavit: ac primum *ἀστεῖοι* adscripsit non sine aliqua dubitatione, deinde coniecit: *οἱ δὲ ποιηταὶ σχινοκέφαλον αὐτὸν ἐκάλουν· τὴν γὰρ σκίλλαν ἔστιν ὅτε καὶ σχῖνον οἱ Ἀττικοὶ ὀνομάζουσι*, tertium iecit: *οἱ δ' Ἀττικοὶ [ποιηταὶ] κτλ.* Non omittenda in eodem capite transpositio adverbii *μόνον* l. 19: *Τηλεκλείδης δὲ ποτὲ μὲν ὑπὸ τῶν πραγμάτων ἠπορημένων καθῆσθαί φησιν αὐτὸν ἐν τῇ πόλει καρηβαροῦντα, ποτὲ δὲ μόνον ἐκ κεφαλῆς ἑνδεκακλίνου θόρυβον πολὺν ἐξανατέλλειν*: post *καρηβαροῦντα* enim eius locum esse arbitratur, eximendam voculam post *ποτὲ δέ.*

Cap. 4 in Platonis versu

ὥς φασιν, ὁ Χείρων ἐξέθρεψας Περικλέα

Bergkius non articulum, sed alteram verbi *φασὶν* syllabam tollit scribendo

ὥς φασ' ὁ Χείρων ἐξέθρεψας Περικλέα,

quod multo mihi videtur praestare. In extremo capite sic corrigendum esse iudicavit: *συμμεμιγμένοις πᾶσι τοῖς ἄλλοις ἐναποκρίνοντα ὁμοιομερείας.*

Cap. 5, l. 2 Bergkius verba *μετεωρολογίας καὶ* ut glossema vocabuli *μεταρσιολεσχίας* cancellis circumscripsit: dativos restitui volt pro nominativis l. 5: *προσώπου συστάσει ἀθρύπτῳ εἰς γέλωτα καὶ πρᾳότητι πορείας καὶ καταστολῇ περιβολῆς πρὸς οὐδὲν ἐκταραττομένῃ πάθος ἐν τῷ λέγειν καὶ πλάσματι φωνῆς ἀθορύβῳ καὶ ὅσα τοιαῦτα, πάντας θαυμαστῶς ἐξέπληττε.* Ibidem l. 20 *ἐν ταῖς συμπεριφοραῖς*, ut Cobetus, sic etiam Bergkius suspicatur: idem anteivit Batavum adnotans l. 23. 24 *δοξοκοπίαν* et *δοξοκοπεῖν* littera *μ* ante *π* utroque loco deleta.

Conspirant iidem critici, quod et cap. 6 *ἣν* (pro *ὅσην*) . . *ἐνεργάζεται* emendari iubent et cap. 7 *ἀποτεθνήκει* et *τὰ μάλιστα φαινόμενα* perperam tradita credunt: dissentiunt eo quod Bergkius *ἐλάχιστα*, *ἥκιστα* suasit Cobetus. Deinde quod Cobetus dixit in loco eiusdem capitis: *τἄλλα δὲ φίλους καὶ ῥήτορας ἑταίρους καθιεὶς ἔπραττεν* neminem fore qui admonitus non reponeret *καὶ ῥήτορας ἑτέρους*, etsi facilem per se videtur emendationem proposuisse, facilius tamen Bergkius vitium sustulit transmutando: *τἄλλα δὲ φίλους καὶ ἑταίρους ῥήτορας καθιεὶς ἔπραττεν.* In transitu moneo de correctione *ταὔτ' οὖν* pro *ταῦτ' οὖν* in fine capitis octavi.

Cap. 8 *Ταναγρικὴν* et *ἐρρωμενέστατα τὴν μάχην*, ut Cobetus, sic Bergkius correxit: neque vitiosum esse imperfectum *συνεπητιᾶτο* uterque vir doctus non animadvertit. Vide iam, utrum magis placeat, Cobetine *συνεπῃτίατο* an Bergkii *συνεπῃτιάσατο.* L. 5: *ἔθετο μετὰ τῶν φυλετῶν εἰς λόχον τὰ ὅπλα* num recte dici possit dubium: coniecit Bergkius *μεθεὶς χόλον*, quod loci sententiae aptissimum duco. Eadem correctura utendum fortasse dicit infra, l. 31, in loco *οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ πρὸς τὸν λόχον ἅπαξ ἀνέστη κτλ.* In exitu capitis cum stare non posse cognovisset verba *ἐτελεύτησε δὲ Κίμων ἐν Κύπρῳ στρατηγῶν*, haec proximi capitis initio attribuit vel potius legendum vidit: *ἐπειδὴ δὲ Κίμων ἐν Κύπρῳ ἐτελεύτησε, οἱ [δ'] ἀριστοκρατικοὶ μέγιστον μὲν ἤδη τὸν Περικλέα κτλ.*

Cap. 12 primum in levioribus vitiis restituendis *ᾗ δ' ἔστιν* (pro *ἔνεστιν*) *αὐτῷ* (l. 9) et *δεῖν* (pro *δεῖ*) *δὲ τῆς πόλεως κτλ.* (l. 22) Bergkium cum Cobeto convenire monendum est: addit autem de suo emendationes *τοῖς εἰσφερομένοις ὑπ' αὐτῆς ἀναγκαίοις* (pro adverbio *ἀναγκαίως*) *πρὸς τὸν πόλεμον*, quam quidem emendationem ex l. 23: *δεῖν δὲ τῆς πόλεως κατεσκευασμένης ἱκανῶς τοῖς ἀναγκαίοις πρὸς τὸν πόλεμον* hausit: postea l. 15 *ὥσπερ ἀλαζόνα γυναῖκα περιαπτομένην λίθους πολυτελεῖς [καὶ] ἀγάλμασι καὶ ναοῖς χιλιοταλάντοις* pro accusativis tralaticiis, postremo *ἐξουσίαν* pro *εὐπορίαν* l. 24 emendavit. Ingeniose Bergkius

cap. 13, l. 32 prospexit loco Cratini

. . . *πάλαι γὰρ αὐτό, φησί,*
λόγοισι προάγει Περικλέης, ἔργοισι δ' οὐδὲ κινεῖ,

cum *οὐδ' ἄκαιναν* poetae manum exarasse sibi persuasisset. *Ἐγὼ δ' ἐν πολλῷ χρόνῳ* (l. 9) Plutarcho reddidit etiam Cobetus: idem et *ἐν τῇ στήλῃ ἀναγέγραπται* (pro *εἶναι γέγραπται* l. 58) et *συστρατηγοῦντος* (pro *ὑποστρατηγοῦντος*) correxit: displicuit Bergkio etiam *ταῶνας ὑφιέναι ταῖς γυναιξίν*: tentavit *πιαίνειν* vel *πιᾶναι*, deinde *ἐφιέναι*, tum *ὑποτεῖναι.*

Cap. 15, l. 26 in verbis *καὶ φθόγγους ψυχῆς μάλ' ἐμμελοῦς ἁφῆς καὶ κρούσεως δεομένους* Bergkius genitivum *δεομένης* scribere maluit: restituit sermonis nitorem l. 30 scribendo: *ὃς καὶ τὴν πόλιν ἐκ μεγάλης μεγίστην καὶ πλουσιωτάτην ποιήσας καὶ γενόμενος [καὶ] δυνάμει πολλῶν βασιλέων καὶ τυράννων ὑπέρτερος, ὧν ἔνιοι καὶ ἐπί(τροπον) τοῖς υἱέσι διέθεντο.*

Cap. 16, l. 10 Teleclidae versum

λάινα τείχη, τὰ μὲν οἰκοδομεῖν, τὰ δὲ αὐτὰ πάλιν καταβάλλειν

vitium contraxisse manifestum est: metro consuluit Bergkius coniciendo *τὰ δ' ἔπειτα πάλιν καταβάλλειν*: aliam rationem iniit Kockius eumque secutus est Blassius: is enim *τὰ δὲ τἄμπαλιν αὖ καταβάλλειν* in textum recepit. L. 36, ubi libri praebent *ἅπαντα μὲν οὖν ταῦτα τῆς Ἀναξαγόρου σοφίας*, idem quod Bergkio in mentem incidit *ἀπᾴδοντα μὲν οὖν κτλ.* i. e. *non concinunt haec cum Anaxagorae sapientia* invenimus etiam apud Blassium: *ἀφῆκεν* eo qui sequitur versu iam Cobetus in *ἀνῆκεν* mutaverat.

Cap. 18, l. 12: *κατέχειν ἐπειρᾶτο καὶ παρακαλεῖν ἐν τῷ δήμῳ τὸ μνημονευόμενον κτλ.* Bergkius *παραστέλλειν* adnotavit. Idem cap. 19, l. 11: *ἐθαυμάσθη δὲ καὶ διεβοήθη πρὸς τοὺς ἐκτὸς ἀνθρώπους περιπλεύσας Πελοπόννησον* post *ἀνθρώπους* adverbium *μάλιστα* excidisse suspicatus est.

Cap. 22, l. 20: *ἔοικε δ' ὥσπερ συγγενικὸν αὐτῷ προστρίψασθαι νόσημα τὴν φιλαργυρίαν ἡ φύσις, ὑφ' ἧς καὶ αὐτὸς αἰσχρῶς ἐπὶ κακοῖς ἔργοις ἁλοὺς ἐξέπεσε τῆς Σπάρτης* duas adnotationes in Bergkii exemplari inveni: neque enim *καὶ αὐτὸς* recte se habere, sed *οὗτος* vel *αὐτοῖς* scribendum putavit et '*minime*' Sintenesii coniecturam a Blassio in ordinem receptam comprobavit.

In extremo capite 23: *καὶ Χαλκιδέων μὲν τοὺς ἱπποβότας λεγομένους πλούτῳ καὶ δόξῃ διαφέροντας ἐξέβαλεν, Ἑστιαιεῖς δὲ πάντας ἀναστήσας ἐκ τῆς χώρας Ἀθηναίους μόνους κατῴκισε* adiectivum *μόνους* de loco suo motum esse ratus post *διαφέροντας* inseruit. Similia vitia

in cap. 26 et 27 agnovit: video enim primum adverbium *πρότερον* l. 20 uncis circumclusum, postea autem l. 22 post *σάμαιναν* insertum: deinde in initio capitis insequentis *τὴν πόλιν* l. 6 ante *βουλόμενος* exemit, post *περιετείχιζε* l. 4 reposuit: denique optime, si quid video, in fine eiusdem capitis verba *χαλκῆν . . . . τῶν ἄνωθεν* sedem mutare iussit, cum scripsit: *τὸν δ' Ἀρτέμωνά φησι τρυφερόν τινα τῷ βίῳ καὶ πρὸς τοὺς φόβους μαλακὸν ὄντα καὶ καταπλῆγα τὰ πολλὰ μὲν οἴκοι καθέζεσθαι· εἰ δὲ βιασθείη προελθεῖν ἐν κλινιδίῳ κρεμαστῷ παρὰ τὴν γῆν αὐτὴν παραφερόμενον κομίζεσθαι χαλκῆν ἀσπίδα τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ δυεῖν οἰκετῶν ὑπερεχόντων, ὥστε μηδὲν ἐμπεσεῖν τῶν ἄνωθεν καὶ διὰ τοῦτο κληθῆναι Περιφόρητον.* An *αὖθις* scribi oporteat c. 27, l. 4 pro *εὐθύς*, Bergkius dubitat, *ἀναπλεύσαντος* pro *πλεύσαντος* c. 26, l. 11 cum Cobeto scribendum pro certo habet: *λαχόντι* adnotat c. 26, l. 9 pro *λαβόντι*.

Duobus Thucydidis locis I 10 et I 21 usus quae sic traduntur in libris Plutarcheis cap. 28, l. 12 seqq.: *Δοῦρις μὲν οὖν οὐδ' ὅπου μηδὲν αὐτῷ πρόσεστιν ἴδιον πάθος εἰωθὼς κρατεῖν τὴν διήγησιν ἐπὶ τῆς ἀληθείας μᾶλλον ἔοικεν ἐνταῦθα δεινῶσαι τὰς τῆς πατρίδος συμφορὰς ἐπὶ διαβολῇ τῶν Ἀθηναίων*, ea Bergkius ita mutanda censuit, ut rescriberet: . . . *κοσμεῖν τὴν διήγησιν ἐπὶ τὸ πλέον* vel *ἐπὶ βλάβῃ τῆς ἀληθείας*. Coniecturam ad Archilochi iambum (fr. 31) sanandum in quarta lyricorum editione propositam: *Σὺ κἂν μύροισι γραῦς ἐοῦσ' ἠλείφεο* iam antea Bergkius in margine l. 29 significaverat.

Cap. 29, l. 12 sic restituendum putavit: *καὶ ὅλως διετέλει κολούων, ὡς μηδὲ τοῖς ὀνόμασι γνησίων, ἀλλ' ὀθνείων καὶ ξένων* (pro accusativis) [*ὅτι*] *τῶν Κίμωνος υἱῶν, τῷ μὲν* (*γὰρ* vel *ὅτι τῷ*) *ἦν Λακεδαιμόνιος ὄνομα, τῷ δὲ Θεσσαλός, τῷ δὲ Ἠλεῖος.* Quod narrat Plutarchus

cap. 30, l. 4 *εἰπεῖν Πολυάλκη* — ubi Bergkius lectionem cod. *A Πολυάλκην* videtur praetulisse — *τῶν πρέσβεων τινὰ* (vel potius *ἕνα*, siquidem Bergkius in eadem qua Cobetus voce offendit) Lacedaemoniorum: *σὺ δὲ μὴ καθέλῃς, ἀλλὰ στρέψον εἴσω τὸ πινάκιον*, hoc ad linguae

Laconicae normam sollertissime sic conformavit, ut legatum dicentem faciat: *σὺ δ' αἴ κα μὴ καθελεῖν λῇς κτλ.*

Cap. 31, l. 12 pro *τοὺς μὲν δι' αὐτὸν ἔσχεν ἐχθροὺς* mavolt *πολλοὺς μὲν* scribere, neque *Γλύκωνος* nomen (l. 33) incorrupte traditum, sed aut *Γλαύκωνος* aut *Λύκωνος* reponendum esse censet.

Cap. 32, l. 7 in verbis *δι' Ἀναξαγόρου τὴν ὑπόνοιαν* offendens Bergkius *εὔνοιαν* adnotavit. Ibidem l. 15 distinxit: *Ἀσπασίαν μὲν οὖν ἐξῃτήσατο, πολλὰ πάνυ παρὰ τὴν δίκην, ὡς Αἰσχίνης φησίν, ἀφεὶς ὑπὲρ αὐτῆς δάκρυα καὶ δεηθεὶς τῶν δικαστῶν*: dubitans etiam de praepositione *παρὰ* in *κατὰ* mutanda cogitavit: ea autem quae sequuntur l. 17: *Ἀναξαγόραν δὲ φοβηθεὶς ἐξέπεμψε καὶ προὔπεμψεν ἐκ τῆς πόλεως. Ὡς δὲ διὰ Φειδίου προσέπταισε τῷ δήμῳ φοβηθεὶς τὸ δικαστήριον μέλλοντα τὸν πόλεμον καὶ ὑποτυφόμενον ἐξέκαυσεν, ἐλπίζων κτλ.* cum Cobetus in integrum ita restituenda putet, ut rescribatur *φοβηθεὶς ὑπεξέπεμψεν ἐκ τῆς πόλεως*, cetera intacta relinquantur, Bergkius verbis *φοβηθεὶς τὸ δικαστήριον* altero loco damnatis supra *τὸ δικαστήριον* ante *ἐξέπεμψε* desideravit, verba *καὶ προὔπεμψεν* cancellis circumdedit. Vitio laborare videbatur idem verbum etiam

cap. 33, l. 5: *ἡ δὲ πεῖρα περιέστη τοῖς πέμψασιν εἰς τοὐναντίον*, quod vitium quomodo sanandum esset, cum id quod supra legerat *τὸ ἄγος ἐλαύνειν* monstrare videretur, *τοῖς ἀπελάσασιν* proposuit. Paulo infra l. 19 numerale *τοὺς ἑξακισμυρίους* vitiosum, redintegrandum autem esse *ἑξακισχιλίους* vidit etiam Cobetus: neque minus compositum *ἀνέγραφεν*

cap. 34, l. 8 simplici verbo cedere debere uterque doctus recte observavit: post, l. 14, ex codicibus *πολλὰ μὲν δρῶντες κατὰ γῆν κακὰ τοὺς Ἀθηναίους*, deinde l. 21 *εἰς ἰατρὸν* et l. 24 *ἀπεργάζεται* recipienda esse notavit, praepositionem autem in verbo *ἀναπεισθέντες* delendam esse ut Cobetum ita Bergkium non fugit.

Cap. 36 in initio: *τὰ μὲν οὖν δημόσια ταχέως ἔμελλε παύσεσθαι καθάπερ κέντρον εἰς τοῦτον ἅμα πληγῇ τὸν θυμὸν ἀφεικότων τῶν πολλῶν* a librario ante *καθάπερ* ob litterarum similitudinem *κακὰ* omissum non sine causa coniecit: haesisse se etiam in *εἰς τοῦτον* notato vocabulo Bergkius indicavit. Ibidem quod Blassius e coniectura dedit l. 5: *ὁ γὰρ πρεσβύτερος αὐτῶν τῶν γνησίων υἱῶν* pro superlativo, hoc etiam Bergkius adscripsit. Notavit l. 9 *γλίσχρα*, quod in *γλίσχρως* mutavit Cobetus, correxit l. 15 *τοὺς λόγους, οὓς ἐποιεῖτο* (pro *ἐποίει*) *μετὰ τῶν σοφιστῶν*, ut idem ille rectissime, expunxit l. 12 *ὁ Ξάνθιππος* ut glossema post *τὸ δὲ μειράκιον* sine exemplo hominis Batavi.

Madvigius quod cap. 37, l. 11 in verbis *ὡς μὴ παντάπασιν ἐρημίᾳ διαδοχῆς τὸν οἶκον ἐκλίποι τοὔνομα καὶ τὸ γένος* uncis saepiendum suasit *τὸν οἶκον*, hac re locum sanari posse quamquam Bergkius quoque intellexit, tamen non minus recte *περὶ τὸν οἶκον* vel *τοῦ οἴκου* scribi posse arbitratus est. Adverbium *ὅμως* putavit excidisse ante *ἡ παροῦσα δυστυχία* l. 24, locum mutare iussit verba *σχολαίως καὶ*

cap. 38, l. 4: optime autem redintegravit finem eiusdem capitis hunc in modum traditum: *ὁ δὲ πᾶσιν ἐτύγχανε τὸν νοῦν προσεσχηκὼς καὶ φθεγξάμενος εἰς μέσον ἔφη θαυμάζειν, ὅτι ταῦτα μὲν ἐπαινοῦσιν αὐτοῦ καὶ μνημονεύουσιν, ἃ καὶ πρὸς τύχην ἐστὶ κοινὰ καὶ γέγονεν ἤδη πολλοῖς στρατηγοῖς, τὸ δὲ κάλλιστον καὶ μέγιστον οὐ λέγουσιν. „Οὐδεὶς γάρ, ἔφη, δι' ἐμὲ τῶν ὄντων Ἀθηναίων μέλαν ἱμάτιον προσεβάλετο.“* Scripsit enim correcturis lenissimis: *ἃ καὶ προστυχῆ ἐστὶ καὶ κοινὰ κτλ.* et pro *τῶν ὄντων ἐτῶν τοσούτων.* Vitio locum laborare perspexerat etiam Cobetus,

qui pro τῶν ὄντων suspicatus est τῶν πολιτῶν emendari oportere '*expuncto emblemate* Ἀθηναίων'. Consentit idem cum Bergkio eo nomine quod pro περικαθήμενοι et περιόντες postulat praepositionem παρά. Finem facimus scribendi extremam harum adnotationum cum doctis communicantes: finis vitae Periclis in libris Plutarchi sic exhibetur: τοσαύτη φθορὰ καὶ πλῆθος ἐπέκειτο κακίας τοῖς πράγμασιν, ἣν ἐκεῖνος ἀσθενῆ καὶ ταπεινὴν ποιῶν ἀπέκρυπτε καὶ κατεκώλυεν ἀνήκεστον ἐξουσίᾳ γενέσθαι: bene hic consulit Bergkius orationi coniciendo ἀνήκεστον καὶ ἐξαίσιον γενέσθαι.